



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Mansuetudo eiusdem & comitas. Cap. V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

ad fuit ipsemet, sed etiam fidelibus famulis destituto, probos & industrios è Societate viros ministrandi gratia submisit. Andreas Lipomanus patricius Venerus, quem Trinitatis Priorem appellabant, vir non pietate minus, quàm genere nobilis, Collegio nostrorum hominum constituendo Patavij, opimum sacerdotium eiusdem urbis addixerat, dimidia tãtum parte vectigalium, sibi quoad viveret reservata. At vero Ignatius, ne se vinci pateretur officio; patētibus litteris eum ultro perpetuum sacerdotij administratorem declaravit; neq. è vectigalibus attigit quidquam, nisi quod ab ipso Priore quotannis ad paucos è nostris alēdos per eleemosynam præberetur. quintiam eius fratris filio pensionem decrevit annuam aureorum ad quadringentos: quam tamē bonus ille Prior nequaquam admisit, ac ceteros item, quorum beneficiis provocatus esset, eximio quodam studio & observantia prosequutus est.

Mansuetudo eiusdem, & comitas.
CAP. V.

AB omni fastu & moribus imperiosis vehementer abhorruit. vestigium in eo contumaciæ cerneret nullum. &, quod difficillimum est, lenitatē ita cum gravitate miscbat, ut neque facilitas de auctoritate, neque severitas quidquam de suavitate detraheret. Parisiis per iocum inuitatus à nobili quodam, vellet ne tridiculis ludere (quibus in oblonga mensa per angustum fornitem, eburnea pila trajicitur.) Ego vero ludam, inquit Ignatius. At enim qua sponsione, subijcit ille, qui pecunia careas? Tum Ignatius: Hac sponsione, respondit,

dit, vt certo vtique dierum numero tibi deferuiam: verumtamen, arbitrato tuo, si viceris tu; meo, si superior ipse discessero. Cum ea conditio placuisset: Age sane. in certamen descēditur, cumq. nihil minus caleret Ignatius, diuinitus factum est, vt in singulos omnino traiectus victor euaderet: subinde exclamāte aduersario, se merito plecti, qui Ignatium prouocasset: seq. diuinum iudiciū prorsus agnoscere. Peracto deinde certamine, victum victor ab inanibus curis & occupationibus, in aliquot dies abductum, è spōsione, spiritualibus exercitationibus diligēter excoluit: torpentemq. situ ac deliciis animum ipsius, ad salutarem Dei metum, æternæq. vitæ cogitationem excitauit. Venetiis Patauium pedibus cum iter haberet, domestica, eaq. admodum attrita lacerna ob inopiā indutus, Iacobo Laine comite; pecuarius quidā puer, qui à via non longe armenta pascebat, conspectis e minus peregrinis, ad eos repente propius aduolat, habitusq. fortasse nouitate permotus, defixis procciter in Ignatium oculis, cachinnos tollere, eidemq. licentius cœpit illudere. cumq. Ignatius vultu placido substirisset; conuersus ad eum comes: *Quin, ait, acceleras gradum pater, teque istius pueri petulantia subtrahis? Immo vero, inquit ille, cur puerum oblata sibi præter spem hac tanta oblectatione fraudemus? Itaq. consulto etiam diutius hæsit in iisdem vestigiis; ac se curiosius intuendum ridendumq. affatim proteruo adolescentulo præbuit: plus nimirum ex hoc qualicumq. sui contemptu ac ludibrio hauriens voluptatis, quàm alij ex vulgi plausu fausta. acclamatione percipiunt. Atq. hunc mansuetudinis tenorem diligenter in omni vita seruauit: ac satis constat, annis ipsis triginta, quibus Christum sequutus est, neminem*

minem prorsus ab eo fuisse non modo cōtumeliose tractatum, sed ne appellatum quidē acerbius. Si quid præciperet; roganti erat propior quàm iubenti. Alloquendi vero eius causa, nihil erat necesse tempus opportunum, aut molles captare aditus: qualibet ad- iisses hora, siue corpore melius haberet, siue deterius, prosperis æque atq. aduersis in rebus, & accipiebat benigne, & patienter ad finem vsque sine interpella- tione audiebat. ac nullum quamuis infimæ sortis ho- minem stare coram se, nedum aperto capite patieba- tur esse. nec modo ex destinato congressu, verum etiã ex occurso fortuito, fratres ita lætis intuebatur ocu- lis, vt vel ex hoc, insitam animo in omnes beneuo- lentiam satis ostenderet. Amicos præterea, tum do- mesticos, tum externos interdum ad prandium aut cœnam, siue vt appellabat ipse, ad pœnitentiam inui- tabat; nec repudiabat si quis vltro se offerret: quin- etiam interuenientes cœnæ, vel in ipso iam exitu, ni- hilominus iubeat accumbere; & frustula panis ipse carpando, & simulanda appetentia, conuiuium con- sulto extrahebat, quoad nouissimus quisque sine ru- bore aut sollicitudine, per otium absolueret. Si quis ab eo quidpiam, sibi aliis ve peteret; vel dabat hilare, verbis etiam, quod aiunt, munus exornans; vel si ab- nueret, causas afferebat eiusmodi; vt ille sese con- temptū nullo modo existimare posset. ac tanta ipsius erat in eo genere vel efficacitas vel suauitas, vt qui ad eum legati à quopiam venerant, cum id quod vole- bant, minime impetrassent, Ignatij rationibus inter- dum ita victi pacatiq. discederent, vt vltro ipsi mu- tata ratione, apud eos à quibus missi fuerant, ipsius causam pertinacissime tuerentur.